

— Alius casus est in pronuntiatione sententiæ: nam quod sententia per metum lata non teneat, tradit Hostiensis ibidem, id probans ex can. *Injustum*. 41, q. 3. Verum Glossa in d. can. *Injustum*. §. *Non valeat*, et Archidiaconus ibid. n. 2. et 3, et plures alii docent, quod ejusmodi sententia per metum lata teneat, nisi elidatur per exceptionem.

73. *Sententia per metum lata, num valeat?* — Nec obstant dicta, n. 63 et 64. Resp. enim cum Panormitano loc. cit. n. 17, quamvis metus gravis, si intervenit in jurisdictione conferenda, vel proroganda, vitiet actum ipso facto, ut ibidem ostensum fuit. Secus tamen esse, quando is intervenit in jurisdictione exercenda: tunc enim regulariter (seu ubi aliud specialiter non exprimitur, prout expressum habetur in casu cap. 4, h. t. in 6) metus non vitiat ipso jure. Stat enim regula, quod illa, quæ metu fiunt, teneant, nisi in casibus specialiter exceptis.

74. *Utrum valeat constitutio procuratoris, si fiat ex gravi metu?* — Tertius casus est in constitutione procuratoris: hanc enim non tenere, si per metum quis constituat procuratorem, voluit Hostiensis loc. cit. id probans ex c. *Accedens*. 10. de *Procuratoribus*. Verum istud textus ille clare non probat: et commode potest salvari, quod quidem constitutio procuratoris, præsertim in casu matrimoniali, plena debeat libertate gaudere, et si per metum extorta fuerit, si rescindenda: non tamen, quod ipso jure sit invalida. Unde casus iste magis est dubitabilis, sicut et nonnulli alii a quibusdam relati, quos proinde placuit præterire.

75. *Omnes actus illi metu extorti ipso jure non valent, qui sine peccato servari non possunt.* — Tandem generaliter est notandum, quod omnes actus illi metu extorti, ipso jure sint invalidi, qui sine peccato servari non possunt. Verumtamen istud non provenit ratione metus injuste incussi, sed ratione peccati: nemo enim potest obligari ad peccandum, cap. ult. de *Pactis*. Etiam si juramentum intercessisset: quia « non est obligatorium contra bonos mores præsitum juramentum; » juxta reg. 58 juris in 6, cum similibus.

IV.

DE PROBATIONE, AC DURATIONE METUS; UBI ET DE METU REVERENTIALI.

76. *Metus regulariter non præsumitur, sed ab allegante est probandus.* — Quæritur I. Quid

generatim sit sentiendum de probatione metus? Resp. I. Regulariter loquendo metus non præsumitur, sed ab allegante est probandus. Ita Menochius, l. III. de *Præsumptionibus*. præf. 126, n. 1; Mascardus, de *Probationibus*, concl. 1056, n. 1 et 2, concl. 1057, n. 1 et seqq. allegans plurimos alios cum communi. Idque patet ex l. *Cum te non solum*, ff. De *his, quæ vi metusve causa*, etc., et l. I. § *Quæ exonerandæ*, ff. *Quarum rerum actio*, etc., ubi expressè requiritur probatio metus per allegantem faciendâ. Accedit ratio, quia si metus præsumeretur delictum; nam impræsentiarum sermo est de metu injuste incusso; atque delictum non præsumitur, donec probetur, can. *In cunctis*. 11, q. 3, et can. *Nullam ante*, 30, q. 5, et l. *Merito*. ff. *Pro Socio*; cum concordantiis; ergo.

77. *Metus est probationis difficilis.* — Resp. II. Metus est difficilis probationis, nec nisi conjecturis atque indiciis probari potest. Ita Sperellus, decis. 5. *Fori ecclesiast.* n. 69; Mascardus, cit. concl. 1057, n. 2 et 6; Alexander, consil. 98, n. 6, l. III; Menochius, de *Arbitrar. judic.* casu 136, n. 1, post Baldum in l. *Si quis hoc genus*. C. de *Episc. et cleric.* ac alios. Ratio prioris partis est, quia metus consistit in mente: neque enim aliud est, quam « instantis periculi, vel futuri causa, mentis trepidatio, » prout desumitur. l. I. ff. De *eo, quod metus causa*, etc. Et quia gestum ex metu, est simpliciter voluntarium, et involuntarium dumtaxat secundum quid; hinc colligere licet, quam sit difficile discernere metum a spontanea voluntate.

78. *Nec nisi conjecturis et indiciis probari potest.* — Atque ex his patet posterior pars conclusionis. Quia enim ipsummet metum, seu interiorem mentis trepidationem, sensibus corporeis percipere non licet; consequens est, eundem non nisi conjecturis, seu quibusdam indiciis exterius apparentibus, pro foro externo probari posse. Solum adverte, quod metus debeat probari per indicia propinqua, non autem per remota, et extrinseca, ut inquit Jason in l. *Interpositas*, n. 4. C. de *Transact.*

79. *Quisnam hic et nunc sit justus metus, judicis arbitrio relinquitur.* — Resp. III. Quisnam hic et nunc sit justus metus, seu ad rescindendum vel irritandum actum sufficiens, judicis arbitrio derelinquendum. Ita Sperellus, cit. decis. 5, n. 72 et 73, cum aliis, attestans de communi. Idque desumitur ex l. *Metus autem*. 3. ff. *Ex quibus causis*

majores, etc. ubi loquendo de justo metu, dicitur: « Non sufficit quolibet errore ad ductum timuisse, sed hujus rei disquisitio judicis est. » Quin etiam qualitas personarum attendenda videtur: minor enim metus sufficit in fœmiba, quam in viro, argum. can. *Indignantur*, 32, quæst. 6, et notat Glossa in c. *Cum locum*. §. *Metus de Sponsalib.*, et Jason cit. n. 4.

80. *Idemque dicendum de conjecturis, harumque vi probandi.* — Quinimo inter ipsa indicia, seu conjecturas, multiplex solet esse variatio; sicque earum etiam qualitas, visque probandi, merito judicis relinquitur disquisitioni et arbitrio: eo præsertim, quia certum quid de hoc in jure non reperitur definitum, imo nec possent in particulari exprimi omnes casus. Glossa in c. *Cum dilectus*, §. *Metum mortis*. h. t.; Menochius, de *Arbitrar. judic.*, Casu 136, n. 2; Mascardus, cit. conclus. 1057, n. 12. allegans communem.

81. *Metus illatus quibus conjecturis in specie probetur?* — Quæritur II. Quibus probationibus, seu conjecturis in specie, metus illatus probetur? Resp. I. Ejusmodi probationes, seu conjecturas esse plures; adeo, ut Menochius de *Præsumptionibus*. l. III. præsumpt. 126, concl. 1056 et 1057, ac alii, nonnullas alias addiderunt. Juvat præcipuas earum exempli gratia huc adducere.

82. *Metus præsumitur, quando quis contraxit in carcere seu vinculis constitutus.* — Imprimis enim prudens iudex probabilem esse conjecturam metus illati procul dubio censebit, istamque præsumet, quando metum allegans probat se fuisse incarceratum, atque ibidem contraxisse: ipsa enim vincula satis superque arguunt, per metum fuisse gesta omnia, quæ in vinculis acta fuerunt; atque idcirco viribus carere. Menochius, de *Arbitr. judic.* casu 136, n. 3, et seqq. post decium consil. 691, n. 5. Bartolum, et alios. Idemque patet ex l. *Qui in carcerem*. ff. De *eo, quod metus causa*, etc., ubi dicitur: « Qui in carcerem quem detrusit, ut aliquid ei extorqueret, quidquid ob hanc causam factum est, nullius momenti existit. »

83. *Vel si in aliqua domo, etiam privata, detinebatur clausus.* — Atque hoc ampliatur ad eum casum, quo quis in aliqua domo etiam privata detinetur clausus, et vinculis astrictus: nam etiam tunc, quidquid vinculus agit, præsumitur metu actum, sicque istud erit invalidum. Mascardus, cit. concl. 1056, n. 45, citans alios. Idque aperte habe-

tur in l. *Succurritur*. ff. *Ex quibus causis majores*, etc., ubi vinculorum appellatio latius accipienda dicitur, ut inclusi quoque in aliqua parte domus, veluti latumiis, victorum numero habeantur; cum nihil intersit, parietibus, an compedibus quis teneatur.

84. *Aut quando probetur minæ potentis.* — Resp. II. Metus etiam præsumitur ex eo, quod probentur minæ potentis, qui verisimiliter illas executurus est, vel alias exequi consuevit: dummodo minæ illæ fuerint de gravi malo inferendo, ut puta. mortis, cap. 1, h. t. amissionis honorum, seu patrimonii, cap. 11. eod., aut hujusmodi. Abbas in cap. 1, n. 3, de *Offi. delegat.* Menochius cit. cas. 136, n. 11, post Bellameram consil. 9, col. 5, et alios; atque concordant dicta superius §. 2, n. 19 et 20.

85. *Idque exemplificatur.* — Sic quod metus justus probetur ex evagatione gladii, præsertim in loco solitario cum minatione transverberationis facta, textus est in cit. cap. 1, et notat Abbas ibid. n. 4. h. t. Similiter probatur metus illatus, quando ad ostium domus, in qua celebratur contractus, extant viri armati, qui facile possent vim inferre. Menochius, de *Præsumptionibus*, l. III. præsumpt. n. 8, et præsumpt. 126, n. 27, post Capolam, consil. 2, n. 5, et Corneum, consil. 44, n. 11, l. II. Insuper conjectura justus metus est, si clericus terrore laicorum renuntiet et beneficio ecclesiastico, aut hujusmodi; uti desumitur ex c. *Ad aures*. III, h. t. Solent enim laici oppido clericis esse infesti, can. *Laicus*, 2, q. 7, et c. *Clericis de Immunitat. Eccles.* in 6, sicque citius minas suas erga clericos præsumuntur completuri. Idem dicendum de similibus.

86. *Alia conjectura metus illati est, quando quis antea jure suo fuit spoliatus, et deinde ipsi renuntiat.* — Resp. III. Inter alias metus incussi conjecturas etiam connumeratur ea, quando quis antea jure suo, v. g. beneficio ecclesiastico spoliatus fuit, et deinde absque alia causa illi renuntiat: præsumitur enim talis renuntiatio facta ex metu, c. *Super hoc*, 5. de *Renuntiat.* Siquidem nemo præsumitur velle jactare suum, l. *Cum de indebito*. §. 1. ff. de *Probat.*; Menochius, §. *Præsumpt.* 126, n. 20; Mascardus, cit. concl. 1056, n. 42, post Cravettam, consil. 49, n. 4. et alias.

87. *Aut quando probatur, præcessisse inter alios tractatum de cogendo aliquem per metum.* — Idem dicendum, quando probatur, præcessisse inter alios tractatum de cogendo ali-

quem per metum ad contrahendum, v. g. ad ineundum matrimonium : quia præsumitur metus, si postea sequatur contractus. Mascardus loc. cit. n. 44. Aut, quando metum allegans, post actum, vel contractum a se celebratum illico agit : nam etiam tunc præsumitur metus, arg. *Constat. multos. 1.*, q. juncta Glossa *ŷ. Si statim, etc. Ad id 21. de Sponsalib.* argumento a censu contrario desumpto. Mascardus cit. concl. 1056, n. 46; Sperellus, decis. 5. *Fori ecclesiast.* n. 59, allegans alios. Siquidem per consequentia probantur præcedentia, et e contra, can. *Quod autem. 22.*, q. 2, juncta Glossa *ŷ. Ut exitus,* cum similibus.

88. *Vel quando contrahens tempore contractus lacrymabatur. Seu præter morem dignoscebatur pallor in vultu ejus.* — Præsumitur etiam metus, quando is, qui contraxit, vel contractui consensit, tempore celebrati contractus lacrymabatur, nisi forsitan alia causa illius fletus intervenerit. Menochius, cit. l. III. *Præsumpt. 4.*, et *Præsumpt. 126*, n. 17. Vel quando in contrahente præter morem dignoscebatur pallor in vultu, seu vox tremula, vel insolita alteratio, aut hujusmodi : talia enim judicia multum juvant ad excutiendam veritatem, metumque dignoscendum, l. *De minore. § Tormenta. ff. de Questionib.*, ac notatur in c. *Afferte. de Præsumptionib.*, et notatur in c. *Afferte. de Præsumptionib.*; Sperellus, cit. decis. 5, n. 54, et 56. post Rotam, decis. 643, n. 13, part. I, Recent. Mascardus cit. concl. 1056, n. 47, et alii.

89. *Metus probatur etiam ex dispositione testium. Magis est credendum duobus testibus de metu attestantibus, una cum existente conjectura, quam mille negantibus, seu deponentibus de spontanea voluntate; et cur?* — Resp. IV. Insuper metus probatur ex dispositione testium : adeo quidem, ut magis sit credendum duobus testibus de metu attestantibus una cum existente conjectura, quam mille negantibus, seu deponentibus de libera, sive spontanea voluntate. Ita Innocentius in c. *Super hoc. de Renuntiat.*; Jason. in l. *Interpositas. n. 5. C. de Transaction.*; Alexander, consil. 156, n. 3, vol. V; Menochius, cit. l. III. *Præsumpt. 126*, n. 31; Mascardus *de Probation.*, concl. 1058, n. 1. allegans plurimos alios. Accedit ratio : quia deponentes super spontanea voluntate, deponunt de actu interno ac invisibili, solique Deo cognito : alii vero deponentes de metu una cum existente conjectura, attestantur de nimis, verberibus, vel similibus illati metus indicii, quæ sensu

corporis percipiuntur. Atqui hoc est multo facilius, simulque accommodatum conditioni naturæ humanæ, cujus est judicare solum de externis, non autem de internis et occultis.

90. *Testes debent reddere rationem sui dicti.* — Additur notanter, « una cum existente conjectura. » Nam testes debent reddere rationem sui dicti, c. *Cum causam*, juncta Glossa *ŷ. De causis. de Testib.* Et alioquin, si simpliciter deponerent super metu, non allegatis actibus seu indiciiis externis metum inducentibus, pariter ejusmodi testes deponent de actu mere interno, qualis est metus, utpote in mentis trepidatione consistens : unde ipsis tunc non foret magis credendum. Mascardus, loc. cit. n. 4; Menochius, n. 32, et alii.

91. *Quid, si deponentes de spontanea voluntate allegant pro se conjecturas?* — Fallit insuper data conclusio, quando pro deponentibus super spontanea voluntate adessent præsumptiones et conjecturæ, vel ab ipsis adducerentur certæ circumstantiæ, ex quibus deprehendi posset, actum fuisse liberæ voluntatis, ac neutiquam metu extortum. Tunc enim horum depositio præferretur; prout amplius declarat Jason in cit. n. 5; Mascardus, ubi supra, n. 8. et 9, post Antonium de Butrio in c. *Super hoc. de Renuntiat.*, Cæpolam consil. civil. 2, n. 14, et plures alios.

92. *Metus quandoque potest probari juramento.* — Tandem, ut plura similia indicia prudentis judicis arbitrio discutienda taceantur, metus quandoque potest probari per juramentum : ut c. *Statutum. § Cum vero ejusdem. 11. de Rescript.* in 6, juncta Glossa ibid. *ŷ. Saltem et seq.* Quanquam istud esse singulare in casu illius decretalis, nonnulli velint apud Mascardum loc. cit. concl. 1057, n. 8.

93. *Metus reverentialis, quid?* — Quæritur III. Quid sit metus reverentialis, et an sufficiat ad invalidos contractus? Resp. I. Per « metum reverentialem » hoc loco non intelligitur metus ille, seu verecundia, quæ naturaliter inest filiis respectu parentum, uxori respectu mariti, inferioribus respectu superiorum, aliorumve, quibus debetur reverentia : nam certum videtur, talem naturalem verecundiam non sufficere ad invalidandos contractus exinde celebratos. Sic quippe valent sponsalia per parentes pro filiis presentibus, et tacentibus contracta., cap. un. *§ Porro. de*

Desponsat. impuber. in 6, haud obstante, quod filii maximam debeant reverentiam parentibus. Similiter, quod ex sola reverentia superioribus seu majoribus debita, non rite præsumatur metus ad rescissionem contractuum sufficiens, patet ex l. *Ad invidiam. C. De iis, quæ vi metusve causa, etc.*, ubi dicitur, ex sola senatoria dignitate ejus, cum quo quis contraxit, non præsumi metum sibi alatum.

94. *Metus reverentialis, quid?* — Itaque « metus reverentialis » in proposito censetur ille, quo inferior cæteroquin invitatus, et quasi coactus, ex reverentia superioris consentit in contractum aliquem, non audens præ pudore ac reverentia contradicere, timendo, ne superiorem illum offendat. Sic fieret, quando filius animo prorsus repugnante, vere tamen consentit in matrimonium sibi a patre oblatum, non audens præ pudore ac filiali reverentia contradicere, ne patrem offendat : aut si uxor, cæteroquin non consensura, consentiat in alienationem rei dotalis, timendo, ne alioquin maritum suum offendat : quod ipsum potest locum habere in clerico respectu episcopi, in cive respectu magistratus vel principis sui, et generaliter in omnibus illis, qui jure aliquo subjectionis alteri subsunt. Atque ad hujusmodi metum reverentialem quandoque accedunt graves minæ, vel etiam sævitia parentum, seu superiorum : ut dum horum imperio junguntur verbera, mala tractatio, asperitas vultus, aut diu durata indignatio parentum, vel consimilis personæ, a qua plurimum pendet fortuna alterius. Quandoque vero concurrunt frequentes ac importunæ preces, vel blanditiæ parentum, aut superiorum, quæ instanter ac sæpius incultæ, valide solent urgere, vexare, quin et subjectos quandoque propemodum opprimere.

95. *Se solo non sufficiat ad irritandos contractus.* — Resp. II. Etsi sola reverentia erga parentes, aliosque majores, seu metus reverentialis se solo non sufficiat ad irritandum, v. g. matrimonium a filiis celebratum, vel rescindendum alium contractum : secus tamen est dicendum quando simul accesserunt sævitia, vel graves minæ parentum, aut majorum respectu filiorum, seu subditorum, nisi obtemperaverint, vel saltem preces importunæ et instantissimæ. Ita Bartolus in l. I. *§ Quæ onerandæ. ff. Quarum rerum actio, etc.*, et l. *Ad invidiam. C. De iis quæ vi metusve causa, etc.*; Innocentius in c. *Causam matrimonii*; et Abbas ibid. n. 5, *de Offic. delegat.*;

et rursus abbas in c. *Cum contingat. n. 1. de Jurejurand.*; Covarruvias *de Matrimonio. part. II. cap. III. § 6, n. 4*; Mascardus, *de Probationibus*, conc. 1056, n. 17; Menochius, l. III, *de Præsumptionibus*, præsumpt. 127, n. 1 et 5, ac seqq.; Sanchez, lib. IV. *de Matrimon.* disp. 6 et 7; et plurimi alii ab istis citati quamvis non pauci a Mascardo loc. cit. n. 15, et Sanchez, d. disp. 6, n. 4, et seqq. relati quoad priorem partem oppositum teneant, volentes, quod ex reverentia parentibus sive superioribus debita præsumatur, contractum inde sequentem processisse ex metu cadente in virum constantem, qualis rescindit, vel etiam ipso jure irritat contractum.

96. *Idque probatur.* — Prior pars conclusionis, seu quod sola reverentia erga parentes seu majores non sufficiat ad rescindendos, vel irritandos contractus : probatur imprimis ex cit. l. *Ad invidiam. C. De iis quæ vi metusve causa, etc.*, estque jam dictum n. 93. Accedit cap. II *de Pactis*, in 6, ubi dicitur, quod valeat renuntiatio dotis a filia in favorem patris facta, si fuit juramento firmata, et tamen ibi concurrat reverentia paterna; ergo ex hac sola non bene præsumitur metus invalidans contractus. Similiter in l. *Si patre cogente. ff. de Ritu nuptiar.* expressius istud decernitur, illis verbis : « Si patre cogente filius familias ducat uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium. » Ubi Additio ad Glossam, explicans ly « cogitur, » inquit, « quando propter reverentiam patris filius consentit : non autem intelligas, quod intercesserit verus metus, quia tunc matrimonium esset nullum : » et consequenter sola reverentia non inducit verum. Concordant jura n. 97 alleganda, quibus dicitur metum reverentialem minis conjunctum invalidare contractus : nam, argumento a sensu contrario desumpto, inde colligitur, secus esse dicendum cessantibus minis.

97. *Ac solvuntur instantiæ.* — Nec dicas, in l. *Velle. ff. de Reg. jur.* dicitur : « Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini. » Et quod plus est, in l. I. *§ Quæ onerandæ. ff. Quarum rerum actio, etc.* rescinditur promissio liberti suo domino facta, « Si liquido appareat, libertum metu solo, vel nimia patroni reverentia ita se subjecisse, » hoc est, promississe, ut loquitur textus. Resp. enim ad primum, cum Glossa un. ad cit. l. *Velle*, Regulam illam procedere quoad incurrendam pœnam : nam patre, vel domino

imperante, ut delinquat in aliquo, quod tamen non continet atrocitatem facinoris, non creditur filius aut servus velle quoad suam poenam: namque parere necesse habuit, et ideo sibi ignoscitur, l. *Ad ea quæ*. ff. *de Reg. jur.*

98. *Ac solvuntur instantiæ*. — Ad alterum textum respondetur, ibi sub ly « nimia patroni reverentia, » intelligi metum reverentialem non quemcumque, sed minis a patrono intentatis conjunctum: prout indicat additum ly « nimia, » id est, super excedens reverentia; qualis intervenit, ubi aliud malum fimeur. Nec obstat, quod immediate antea fiat ibidem mentio de metu, sicque altera particula videatur superflua, si sit intelligenda de aliquo metu. Resp. enim, quod particula illa, « vel nimia patroni reverentia, » stat declarative, majorisque claritatis gratia subjungatur verbis illis immediate præsentibus, « metu solo; » sicque non censeatur superflua. Sanchez, cit. l. IV, disp. 6, n. 16.

99. *Secus si metui reverentia accedant sævitia, vel graves minæ*. — Altera pars, seu quod accedente sævitia, vel gravibus minis parentum, aut superiorum aliquid imperantium, metus reverentialis sufficiat ad irritandos, vel rescindendos contractus filiorum, sive subditorum exinde celebratos; patet ex c. *Causam matrimonii*. ff. *de Offic. delegat.*, ubi habetur consensum mulieris a viro suo verberibus, et flagellis affectæ, nullius esse momenti. Concordat c. *Cum virum*. 12. *de Regularib.* ubi dicitur, « quod puellæ in ætate nubili constitutæ, quæ coactæ parentum imperio, virginitatis habitum susceperunt, ipsum possint sine prævaricatione deserere. » id ipsum probatur ex l. *Si per expressionem*. C. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.* Item ex c. *Ex litteris*. 13. *de Desponsat. impuber.*, ubi non obligatur puella, quæ « nolens et invita, minis parentum impulsæ, » quidpiam egit, cum similibus.

100. *Solviturque instantia contra hoc*. — Quod si contra hoc objicias textum in l. *Metum non jactationibus*. C. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.* ubi dicitur: « Metum non jactationibus tantum, vel contestationibus, sed atrocitate facti probari convenit: » ut proinde neque sufficere videatur metus reverentialis etiam conjunctus minis, ad rescindendos contractus. Resp. cum Glossa, et Bartolo, ibid. si ly « jactationibus tantum, » velimus accipere ex parte minitantis, seu metum inferentis, inde solum sequi, quod ex solis minis

non probetur metus, sed ultra requiratur, quod persona, illa quæ jactavit se damnum illaturam, sit potens exequi minas, simulque has consueverit exequi, et verisimiliter sit executura; ut jam dictum fuit supra, § 2. n. 19. Si autem ly « jactationibus tantum, » accipitur ex parte metum passi, tunc exinde tantummodo sequitur, metum non probari ex eo solum, quod is jactaverit, seu exclamaverit coram aliis, sibi metum fuisse illatum, nisi alia signa concurrerint. Ex his autem nihil sequitur contra conclusionem.

101. *Vel importunæ seu instantissimæ preces eidem jungantur*. — Tertia tandem pars, loquens de importunis precibus (per has intelligendo non quascunque preces, sed eas solum, quæ sunt instantissimæ sæpiusque repetitæ) simulque conjunctis metui reverentialem, probatur ex eo. Siquidem ex una parte ejusmodi importunitas parentum, vel majorum iterum iterumque petentium, valde urget, vexat, quin et subjectos quandoque opprimit: prout desumitur ex *Judic.* cap. XVI, 16, ubi tale quid etiam ipsimet fortissimo Samsoni contigisse legitur, illis verbis: *Cumque molesta esset ei Dalila suis importunis precibus, et per multos dies jugiter adhaereret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, et ad mortem usque lassata est.* Unde in Extravag. *Execrabilis*. Joan. XXII, § 1, notatur, quod quandoque aliqua a Romanis pontificibus « improbitas importuna petentium non tam obtinuisse, quam extorsisse noscuntur, » etc. Ubi Glossa §. *Quam extorsisse*, inquit: « Scilicet ab invito per talem importunitatem. » Ex altera vero parte reverentia majoribus petentibus debita, timorque ipsos offerendi, haud leviter instat: ergo non immerito ambæ hujusmodi causæ in simul conjunctæ, censentur efficere metum cadentem in virum constantem; nam et cæteroquin, « Quæ non prosunt singula, multa juvant, » prout patet ex l. *Instrumenta*. C. *de Probation.* juncta Glossa ibidem.

102. *Metus semel illatus tamdiu præsumitur durare, quamdiu durat ratio illius*. — Quæritur IV. *Quamdiu metus semel illatus durare præsumatur?* Resp. I. Quando eadem causa et ratio illati metus perdurat, etiam metus illatus durare præsumitur. Ita Bartolus in l. II, § *Quæro quid si parum*. C. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.*, ubi hoc exemplificat de tyranno cogente me ad promittendum: nam toto tempore suæ tyrannidis instat metus, et donec sum in loco, ubi is exercet tyrannidem.

Mascardus, *de Probationibus*, conclus. 1056, n. 36 et seqq.; Menochius, *de Præsumpt.* lib. III, præsumpt. 4, n. 22. et præsumpt. 126, n. 28. plura hujus exempla adducenles, et alii. Idque argumento a sensu contrario desumpto, probatur ex illo vulgato: « Cesante causa cessat effectus, » c. *Cum cessante*. 60. *de Appellat.*

100. *Præsumitur autem cessasse, seu purgari ex contrariis indiciis, ex quibus præsumebatur illatus*. — Resp. II. Metus semel in contractu interveniens præsumitur cessasse, seu purgari ex contrariis indiciis seu conjecturis, ex quibus præsumebatur fuisse illatus. Ita Menochius, cit. præsumpt. 126, n. 33 et seqq. Idque declaratur exemplis.

104. *Sic purgatur metus mulieris, invite contrahentis, per longam spontaneam cohabitationem cum marito suo*. — Sic imprimis muliere per longam moram sponte cohabitante suo marito, censetur convalescere matrimonium, ac metus purgari: haud obstante, quod ab initio invita, et renitens contraxisset. Textus est in c. *Ad id*. 21. *de Sponsalibus*. Unde versiculi illi:

Effuge cum poteris, ne consensisse puteris:
Nam si persisteris, illius uxor eris.

105. *Item metus tempore promissionis interveniens per spontaneam solutionem rei promissæ*. — Deinde, quod per spontaneam solutionem rei promissæ purgetur vitium metus adhibiti tempore promissionis, legitur expressum in l. II. C. *De iis, quæ vi metusve causa, etc.* Unde quoties ille, qui metum allegat, sponte solvit, aut observat, quod promisit, vel sibi reciproce promissum exigit, metum purgasse præsumitur. Menochius cit. præsumpt. 126, n. 35. citans alios.

106. *Solvitur instantia*. — Nec obstat textus in l. *Ex ea stipulatione*. ff. *de Condition. ob turpem caus.* ubi repetitur pecunia metu soluta. Resp. enim cum Bartolo in cit. l. II. C. *De iis, quæ vi metusve, etc.* ibi adhibutum fuisse metum etiam in solvendo, ac proinde merito repeti pecuniam jam solutam: hic autem, seu in cit. l. II. metum intervenisse in promittendo tantum.

107. *Metus non præsumitur intervenisse, quando adhibebatur præsentia consanguineorum vel amicorum. Limitatur hoc ipsum*. — Tertio metus purgatur, vel potius nunquam intervenisse præsumitur, quando adhibeatur præsentia consanguineorum, vel amicorum: ut l. *Transactionem*, ac notat Bartolus, ibid.

C. *de Transaction.*; Felinus in c. *Causam matrimonii*. n. 6. *de Offic. delegat.*; Mascardus cit. concl. 1056, n. 23. allegans alios. Ubi tamen, n. 24 et 27. istud limitandum censet, quando vel amicorum præsentia non sufficeret ad resistendum potentia metum inferentis, vel quando intervenit enormis læsio: de quo, aliisque nonnullis huc spectantibus, plura citatus auctor una cum aliis, quos copiose allegat.

TITULUS XLI.

De in integrum Restitutione.

1. *Ratio ordinis rubricarum*. — Quia titulo præcedenti visum est de quadam restitutione speciali, quæ videlicet datur « metus causa: » subnectitur jam rubrica de restitutione quadam generali per quam subvenitur minoribus, ipsisque Ecclesiis, jure speciali; majorennibus vero ex clausula generali, juxta scilicet causa suggerente, juxta l. I. ff. *Ex quibus causis majores*, et notat Glossa, ad rubricam hujus tituli.

I

DE NATURA, REQUISITIS, AC FORMA PETENDÆ RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

2. *Restituere in integrum generatim, quid?* — Quæritur I. *Quid si restitutio in integrum, et quale remedium juris?* Resp. I. « Restituere in integrum » generatim loquendo idem est, ac in pristinum statum reponere. Textus est in l. I. C. *de Sententiam passis*, ibi: « Ut autem scias, quod sit in integrum restituere, honoribus et ordini tuo, et omnibus cæteris te restituo. » Concordat l. *Quod si minor*. § *Restitutio*. ff. *de Minorib.* In proposito tamen restituere in integrum nonnihil strictius accipitur; nec aliud est, quam reducere aliquem in eum statum, in quo fuit ante læsionem. Unde

3. *Restitutio in integrum strictius accepta, quid?* — Resp. II. « Restitutio in integrum » strictius accepta, et prout hoc loco accipitur, est extraordinarium juris remedium, quæ graviter læsus ex naturali æquitate per officium judicis reducitur in eum statum, sive jus, in quo fuerat ante læsionem. Ita in rs